

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Lascaris Grammatica Graeca.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

LASCARIS GRAMMATICA GRÆCA:

Mediolani per Magistrum Dionysium Paravisinum MCCCCLXXVI.

*Demetrius Cretensis [1] Ingenuis ac studiosissimis
Adolescentibus salutem.*

CUM vos rerum bonarum ac literarum græcarum adipiscendæ disciplinæ studiosos viderem. sane & vestram tam egregiam ad hujusmodi rei intentionem non injuria sum admiratus, & animi vestri generositatem, excellentiamque beatam existimans, multum ac diu cogitabam, qua in re vobis græca amantissimis disciplinæ gratificari possem, & quod studio vestro dignum gratumque esset, præstarem. Hæc igitur animo voluntas inveniebam vobis quidem pergratum, ac nihilominus utile fore, si vobis copia librorum græcorum sine multa impensa, difficultateque esset; quo & ad discendum impensus, & propositum vobis libentiori animo assequendum alacriores essetis: mihi verò optatissimum, memoratuque dignum, si quid tale vestra, meaque causa recte efficere possem. Quapropter cum multum mente, plurimum verò experientia laboravimus, vix tandem inveni, quoniam modo libri quoque græci imprimerentur; tum literarum compositione, quæ varia & multiplex pænès literas græcas existat, tum maxime locis accentuum servatis, quod profectò arduum erat, nec parva indigebat consideratione. Visum itaque mihi est primò Constantini Grammaticam imprimere, viri sane disertissimi grammaticique diligentissimi cum valde dilucidam, apprimèque inchoantibus utilem, tum etiam periculum vestri facturam; siquidem & vobis hæc res pluris extimata sit, & a nobis minus frustra elaborata. Deinde si res ex sententia cesserit, majora quoque atque præstantiora Deo volente attingere. Vestrum itaque erit, optimi adolescentes, ac vestræ naturæ ingenuæ, studiique præstantis desiderium vestrum erga literas græcas re ipsa iam confirmare; quæ profectò non parvo adjumento vobis ad omnem virtutem, doctrinamque erunt; & huiusmodi nactis occasione grammatica a vobis accurate intellecta, præceptaque ad altiora deinceps, favente Deo, eniti; nosque promptiores reddere ad multa plura, pulcrioraque vobis gratificandum. Valet.

[1] Putavit Cl. Maittaire, & cum Maittaire J. Alb. Fabricius (Bibl. Græca L. V. cap. 5.) Demetrium Cretensem, Lascaris Grammaticæ editorem, eundem fuisse ac Chalcondylem, qui Græcarum Litterarum Professor præstantissimus Mediolani, octogenario major vita concessit circa ann. MDX. Perperam uterque; egregie momento Cl. V. Saxio in *Hyst. Typ. Lit. ad ann. MCCCXCIX.* duos fuisse Demetrios, qui uno eodemque tempore in tradendis Græcis Litteris apud Italos claruerunt. Alter Cretensis; Atheniensis alter qui & Chalcondyles; ab eorum patris sedibus adpellabantur. Sane Bernardus Nerlius in Epistola Græcæ Homeri Editioni Florentinæ præfixa, sub ann. 1488. scripserat: „ Nam ut omittam Nevii fratris liberalitatem „ & Johannis Actaioli auxilium Demetriique

Cretensis dexteritatem; id in primis mihi opportunum fuit maximeque optatum, quod ad hanc rem Demetrium Chalcondylem Atheniensem nactus eram &c.

Ceterum Demetrius, agnomine Ducas, Cretensis patria, sed diuturna apud Mediolanenses mora Mediolanensis nomen adeptus, primus omnium apud Italos integros Græcos Codices typis vulgare fatiè eleganter aggressus est. Evocatus ex Italia a Card. Francisco Ximeno ut in Complutensi Academia græcas literas profiteretur, ibi insuper opera sua percelebrem editionem polyglottam sacrorum Bibliorum iuvit. Num inde ad nos redierit, incertum. Vide Saxium l. c. p. 176. Alvar. Gomes. de reb. gest. Card. Ximen. Lib. II. Jacob. le Long. *Bibl. Sacr.* p. 14. 18.

